CONCIO
HABITA CORAM SE-RENISSIMO, *JACOBO*, ANGLIÆ, SCO-TIÆ, FRANCIÆ ET HYBERNIÆ REGE, fidei Defenſore, *&c.*

Apud

Curiam HAMPTONIENSEM.

De

Iure ac poteſtate conuocan-dorum cœtuum.

Die Dominico 28. Septemb. Anno 1606.

per

D. DOCTOREM ANDREWS, EPISCOPVM Chicheſtrenſem Latinitate donata.

LONDINI
MDCVIII.

AD AVTHOREM.

Bellarm. 2. Par. Tom. 1. De Conc. lib. 1. cap. 13. col. 1296. lin. 22.

En, Bellarminus, mira qui diſputat arte,
Atque in Scripturis denegat eſſe locum,
Quo Regum iuſſu Conuentus iure vocentur;
Te Duce, *perſpicuum perſpicit eſſe locum.*

CONCIO

CONCIO DE IVRE & Poteſtate conuocandorum cœtuum.

NVMERORVM 10. verſu 1. 2.

1. Tunc Deus alloquutus eſt Moſen, dicendo:

2. Fac tibi duas tubas argenteas, ex vno integro ſegmento facies illas: & habebis illas (vel illæ erunt tibi) *ad congregandum* (vel ad vocandum in vnum) *cœtum & ad remouenda caſtra.*

והיו לך למקרא העדה

EX variis atq; diuerſis delegationibus in vſum atq; εὐταξίαν populi Dei lege conceſſis, exiſtit hæc vna, per ipſum (vt videtis) Deum, idq; viuæ vocis oraculo, tradita, *Tunc Deus allocutus eſt Moſen, dicendo.* Eſtq; iuris ac poteſtatis tubarum, &, vnà cum illis cõuocãdi populi Dei conceſſus. Ius hoc, & poteſtas non prætereunda leuiter, aut perfunctoriè attendenda. Cœtus conuocatio res eſt magni momenti ac pon-

Conceſſus.

à Deo

De poteſtat conuocandorum cœtuũ.

Cõceſſus huius poteſtatis res magni momenti.

Cap.19.1. deris. In cuius rei, haud minùs, quàm in Paſchæ, aut legis ipſius recordationem, ſolenne feſtum: *Feſtum*, inquam, *Tubarum*, idq; ex ipſo Dei præſcripto, κατ' ἔτος, in hac ferè anni tempeſtate. Autumnali ſcilicet æquinoctio, celebratum eſt. Feſtum autem omninò nullum inſtituit Deus, niſi in ſingularis alicuius diuini beneficii memoriam colendam. Singularium proin eius beneficiorum, atq; eminentiũ chariſmatum, vnum hoc eſt, ſingulari & accurata animaduerſione excipiendum.

Penes quem poteſtas hæc olim exſtitit.

Dictam hanc poteſtatem Deus penes ipſum ſe ſolum, ex quo primùm tempore ex Ægypto egreſſi ſunt, eosq; Deus in populum cooptauit ſuum, ad hunc vſq; diem & locum, vt propriam ſibi iure, & peculiarẽ perpetuò reſeruârat. Ad hunc enim ipſum

Cap.9.✝.18. 20.23.

diem & locum, Dei populus, vt conuentus frequẽtauit: ita ſemper (vltima noni capitis verba ſunt, quæ hiſce noſtris inſtar ἀπαγωγῆς inſeruiunt) omnes eorum & congregationes & cõmigrationes ex præſtituto ipſius Dei ἀμέσως extiterũt. Hîc verò Deus ſui ipſius oraculo eos perpetuò dirigere in animo diutius non inſtituens, ſed poteſtatem hanc ἐφάπαξ transmittere; illud hîc efficit. Primaria hæc illius

Exod.19.13. à Deo tranſlatio ad Moſen deriuatio eſt, qui eam vi legis ſcriptæ, mortalium primus obtinuit.

Sono

Sono ſiquidem tubæ ad hunc acceſſerunt locum Diuinæ; ab hoc vero loco demigrârunt, Moſaicæ.

Eſt verò ea clauſula animaduerſine digniſſima: nempe quō, hoc die, quo loco factum eſt. Conſtat enim eos adhuc apud Sinai (*ex verſu 12.*) adhuc apud ipſum montem Dei, (*ex 33. verſu huius cap.*) eo commoratos eſſe tempore; quo delegatio hæc egreſſa eſt. Iſta igitur poteſtas, legi morali gemella eſt & coætanea: loco non alio, non alio tempore quàm lex ipſa tradita. Quo primùm tempore, Tabulæ duæ, eodem tempore Tubæ duæ datæ ſunt. Et Moſes, qui vtriuſque tabulæ, vtriuſque pariter tubæ cuſtos eſt conſtitutus: ac ſi lex, cœtusque propioris cuiusdam affinitatis nexu coniungerentur. Atq; reuera ita ſe res habet; cœtus ſiquidem rationibus, (prout occaſiones oblatæ ſunt) lex & rediuiua facta eſt & viuens conſeruata; quaſi lex ipſa demptis cœtibus aut aliquo indigeret, aut omnes perfectionis numeros non haberet. Sic donec iſte conceſſus transactus eſſet, apud Sinai iugiter commorati ſunt; eo autem peracto, ſtatim demigrarunt.

Tempus & locus conceſſionis.

De hac ergò poteſtate vt verba faciamus; ſacra nobis hiſtoria, ad demōſtrandos abūdè ſuppedita-

ret, eos, qui poteſtatem hanc continuò tractarunt, ſi modò id ſufficeret. Nequaquam verò ſufficit. Errores, quoad huius cauſæ conſtitutionem primi & nouiſſimi, hinc emanaſſe videntur, quòd retrò ſatis homines haud aſpicientes, non ordiuntur altiùs, oculosq; in hoc defixos non habent, quo pacto vi i-
Mat.19.4. pſius legis Diuinæ ab initio ſe habuit. Primarium igitur conceſſum, quo populi Dei comitia conuocata & celebrata ſunt inueſtigaturo, coniunctis o-
Originalis hic eius cōceſſus. mnium ſententiis, locus iſte *Num.10.* viſus eſt ipſiſſiſſimus, in quo inuenitur primò; primòq; fundatur; in lege ſcilicet Diuina fundamento poteſtatis præſtantiſſimo.

Luc.10.26. *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* inquit Seruator noſter. Quaſi diceret: Illic ſi ſcriptum reperiatur, bene habet: illi tum omni exceptione maiori, mos gerẽdus eſt; niſi legi, legislatori, & Deo omniũ moderatori reclamatum eſſe velimus. Ad hanc igitur Delegationem veniamus.

Partes conceſſus. Tria eius membra ſunt. Primum, vt duæ Tubæ argenteæ ex vno integro ſegmento fiant. Secundum, vt hiſce Tubis comitia conuocentur & caſtra moueantur. Tertium, vt dictæ Tubæ à Moſe fiãt, factæq; ad dictos vſus referãtur. Tria hæc, inſtrumentum: Finis, propter quem: Perſona, cui: vt aptis

& ac-

& accommodatis locis diſtribuātur; Finis primus eſt. *Sapiens ſemper incipit à fine* (inquit Philoſophus) Eſt enim *finis* (ſic inſtruente nos Dialecticâ) *cauſa cauſarũ, cauſarũ motor ſingularum.* In ſecũdis conſiſtit inſtrumentũ, quo poteſtas ad dictum finem reuocatur. Extremus agens eſt, dux & moderator inſtrumenti: cui tum inſtrumentum, tum poteſtas commiſſa & commendata ſunt.

1. Bipartitus finis eſt, cuius gratia poteſtas hæc traiecta eſt, prout materia circa quam verſatur, eſt bipartita: ſcilicet, *Caſtra* & *Comitia*: Circa quæ ſpeciali quadam & diſtincta verſatur ratione, nempe *Ad caſtra mouenda, ad comitia conuocanda:* prius in belli, poſterius in pacis gratiam.

Caſtrorum illius motionis, niſi belli duntaxat tempeſtate, vſus eſt omninò nullus. Cuius abſit productio longior, imò abſit, vt omninò ſit. Caſtrorum optima motio, eorum de medio eſt remotio. Quod ſi illud ἀδύνατον ſit, ſi in nobis non ſit μετὰ Rom.12.18.
πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύειν, ſi bellum neceſſariò eſt ſuſcipiendum; huius hîc ordo præſcriptus eſt. At cœtus conuocatio, ſempiterna illa futura eſt: idcircò nobis illa pertractanda eſt.

Cœtus conuocatio eſt (vt in proximis duobus verſiculis) vel totius, vel partis: Tribuũ, vel omniũ

vel principum in illis, & præcipuorum virorum. Vtriſque his inſeruiens, eſt poteſtas, &(verbo vt dicam vno) poteſtas quidem conuocandis cœtibus cõmuniſſima; cœtibus in bello, cœtibus in pace, cœtibus totius, cœtibus vtriusque & partis cuiuscumq;.

2. Huius poteſtatis vires organicè exerendæ ſunt. Et organa ſint oportet tubæ: Numero duæ: Materia argenteæ: ambæ ex vna integra argenti portione.

3. Poteſtas hæc, eiusdemq; per dicta inſtrumenta functio Moſi cõcredita ſic eſt; vt harum tubarũ, primò fabrica: *Fac tibi*: tum ius factarum: *Et erunt tibi;* dein vſus, ad conuocandum cœtum; & (ſi neceſſitas incumbat) ad exercitum remouendum, Moſen ſpectent ſolum. Vt alius omninò nullus ſit vel earum alicuius fabricator, vel poſſeſſor, vel moderator, qui eas, ſiue ad conuocanda comitia, ſiue ad caſtra mouenda tractaret; dempto Moſe, aut eo, cui, vt hæc fierent à Moſe, vel indultum eſt, vel præſcriptum.

Quo in loco vt conceſſum plenè cumulatéq; perfectum, inuenimus, ita altiùs & penitiùs ſcrutemur oportet, an cõceſſus iſte olim aliquãdo ius ſuũ obtinuit; an in actũ productus ſit; an, vt dictę tubæ

ad cœ-

ad cœtum congregandũ olim & fabricatæ & datæ ſunt; ſic dictis hiſce tubis, cœtus continuò congregatus fuerit? Primò igitur de conceſſu poteſtatis 1.
exercendæ: poſtea de functione poteſtatis ſic con- 2.
ceſſæ.

Sic duo habemus ſubiecta: *Caſtra* & *Comitia*: actiones duas: conuocandi, remouendi. Inſtrumenta duo: duas tubas argẽteas. Poteſtates duas; eas fabricandi, factasq; iure & poſſeſſione capiendi. In fines actusve duos prædictos: Primò ad conuocandum cœtum; dein ad remouẽdum exercitum. Atq; hæc Moſi concredita vniuerſa. Dictorum hactenus omnium ſumma hæc eſt: Prærogatiua atq; poteſtas cœtus (quoad publica negotia) & conuocandi & dimittendi confirmata Moſi atq; corroborata.

Tunc Deus allocutus eſt Moſen, &c.

Si à fine dicendi exordium capiendum ſit; Finis eſt conuocatio: Conuocatio ad motum, non omnem, ſed omnium maximum reuocatur: atq; ad eum, qui conuocator, ac proin, vno eodemq; momento motor eſt omnium. Quemadmodum enim in anima; poteſtatibus omnibus, ac facultatibus mente conuocatis; aut in humano corpore, neruorum iunctis viribus, *Vltimum id eſt potentiæ*: pari ratione in corpore politico, cum ordines in vnum o-

Congregatio, Motus extraordinarius.

mnes tracti conuenerint, *nixus*, potiùs quam *motus* eſt dicendus: Sin motus, non tritus aliquis aut vulgaris, ſed *motus magnus* & extraordinarius. Conuocatio huius modi motus eſt, & hæc eius natura eſt.

Tamen neceſſarius.

Veruntamen (etiam hic motus magnus & extraordinarius, qualis qualis eſt) tot tantæq; occaſiones indies premāt, premuntq;, vti huiuſcemodi coitionū vſus, in bello, in pace, cùm cœtus, tū exercitus ſit ille quidem perneceſſarius. Cui hæc ratio ſubiecta eſſe videtur; quod vis diuulſa, nonnulla poſſit; at quædam non niſi vnita poſſit efficere. Vnita nimirum; in conſultatione; quia quod oculus vnus non poteſt, id plures poſſunt diſpicere: vnita, in actione quia cōiunctis plurium operis id facile membratim expediri poteſt, cuius totius on⁹ plus laboris & moleſtiæ, quā vnus aliquis eſſet ſuſtinēdo, faceſſeret.

Exercitui;

Actio autem Bellum, quod fortitudinis: conſultatio pacem, quæ Prudentiæ conuentus eſt, propriè magis reſpicit. In pace quidē legū inprimis cōdendarū gratia. Lubētius.n.legi omnes morē gerēt illi, quæ cōmuni omniū calculo lata eſt. Totius exercitus accurſus, præſidiis firmiorē; totius cœtus cōfluxus, cōſilio prudentiorē, eundē reddit. Atq; hinc fit, vt magnus ſemper fuerit, ac deinceps futurus ſit conuocandorum cœtum vſus.

Cœtui.

Vnum inſuper hoc attexam, quo ſingulari quadam

dam

dam ratione nos hîc ſpectare videatur. Ex infinita hominum multitudine Natio exiſtit nulla, quæ pro frequentatione Conuentuum potiùs, quam nos perorare poſſit. Nihil quidquam maioribus noſtris Britannis (vt de illis ſcribit Tacitus) maiori vel fraudi erat, vel detrimento; quàm quod in vnū non conuenerint, & quod priuatas ſinguli, & ſuas rationes ſecuti, de viis & modis conficiēdi belli expeditiſſimis iunctis conſiliis, non cōſenſerint. Quo vno Romani noſtris [magna belli contentione terra mariq; deuictis] ſuperiores euaſerunt, videlicet quod inſipientes illos, quid in publicis conuentib. boni ineſſet, lateret. Permagnus igitur Conuentuum, & perneceſſarius vſus noſtrates inprimis, teſtes ſui & præcones iure vindicet. *Præcipuè in Britāniahac Magna.*

Iam, ſi coitionum vſus exercitui & cœtui, velut corpori politico adeò ſit neceſſarius; non eſt quod verear parem omninò earundem, quoad Eccleſiam ſic propriè dictam, aut maiorem etiam neceſſitatē adfirmare. Sua habet Eccleſia bella gerenda: ſuas Eccleſia habet leges ferendas. Bella quidem cum hæreſibus: in quib. cōmuni experientiā edocti perſpicimus arcē præſidiis munitam atq; obuallatā ab imis vſq; fundamētis dirui facilius, q̄ ratiocinationis alicuius ὀχυρώματα ſubuerti poſſe, & hoſtiū aciem *Neceſſarius Eccleſiæ.*

denſam atq; inſtructam minori negotio profligari, quam cumulata opinionum porteta altis in animo defixa radicibus extirpari. Hæreſes verò, Eccleſiaſticorum, vi conuentuum, id eſt, Conciliorum, veluti exercituum Angelorum cæleſtium (prout ea Euſebius appellauit) in fugam potiſſimùm actæ ſunt: Quinimò pro certo illud habetur, hæreſes nonnullas nullâ aliâ ratione deuinci potuiſſe & debellari.

De vita Cõſtant. l. 3. c. 6.

Leges idcircò Eccleſiæ, (quas nos *Canones* dicimus & *Regulas*) ad abuſus vel coërcendos, vel corrigendos inſtitutæ, nuſquam niſi in Eccleſiaſticis cõuentibus ſancitæ ſunt. Quo potiſſimùm reſpectu ſi quo alio, cõuentuũ vſus Eccleſiæ eſt neceſſarius: Ex iis ergò, quæ dicta ſunt, liquet iſtud Dei; *Fac tibi*, nõ quidem redundare; ſed tempus iam eſſe fabricãdis tubis peropportunum. Atq; ita ad inſtrumenta, ſecũdam nimirum diſtributionis partem tranſeat oratio.

Congregatio (vti diximus) ad motum reuocatur. Motus potentiæ eſt effectus. Potentia in actum producitur, *organicè*. Sic inſtrumento nobis opus eſt, quo excitetur iſte motus atq; inchoetur.

Inſtrumenta.

Tubæ.

I. 1. Inſtrumentum illud tuba ſit oportet. Sonus is eſt, cuius vſus à Deo ipſo in promulganda lege ſua

eſt

eſt ſelectus. Eiuſdemq; in Comitia, præcipua (vt di- 2.
ctum eſt) legis ſuæ firmamenta, ſtabilem eſſe vult &
perpetuam permanſionē: atque eodē ipſiſſimo, in 3.
nouiſſimo die vtetur, in quo legis, vel ſeruatę vel vi-
olatæ rationem exiget: Quod fiet *in tuba nouiſſima.* 1. Cor. 15. 52.
In vno autem eodemq; organo vſurpando perpe-
tuâ animi conſtantiâ κατ᾽ἐμφάσει, vt vnam eſſe oſtendat
eandemq; perennē poteſtatem. Eademq;, ſiue an-
gelus, vt apud Sinai: ſiue, vt poſtea continuò Moſes
clangat, vnum ſonum eſſe, ipſius, inquam, Dei ſo-
num, Dei vocem, quæ auribus noſtris in vtriſq; per-
cipitur.

2. Tubæ duæ ſint oportet, vt duobus inſeruiant, *Duæ.*
tum Comitiis (quæ in duobus proximis verſiculis
ſequuntur) ſcilicet; vel omnium omninò tribuum,
coagmentatiuè; vel earundem Principum duntaxat &
præcipuorum virorum, *repræſentatiuè*: Tum etiam
tabulis. Huius enim menſis die primo, in vſum v-
ſurpantur ciuilem: decimo verò in ſacrum, nimi-
rum in diem expiationis. Quorum poſterius prio-
rem; prius poſteriorem tabulam ſpectat.

3. Tubæ ex argento fiant oportet (theorias ne *Argentea.*
perſequamur) metalli tantùm gratiâ; cuius ſonus a-
cutiſſimus eſt atque omnium aliorum maximè ca-
norus.

Ex cõtinente ſegmento. 4. Tubæ ex vno continente ſegmento, non ex duobus diuerſis, ambę conflentur oportet. Cui nõ-nulla neceſſariò ſubiecta eſt ſentẽtia (alioquin, quin ex ſeiunctis laminis factę ſint, quid impedit?) Et hęc vna ſola ſcilicet; vtraq; comitia *vnius* eſſe *iuris*; prout tubæ ex vno integro ſegmento τῆς σουλλῆς conflantur & procuduntur.

Verum plura de inſtrumento verba vt faciamus ad rẽ hanc noſtrã nõ tam pertinet. Parti igitur tertiæ viam munio pertractandæ: Nimirum, *In quem conferendæ tubæ, & à quo illæ tractandæ.* Ex illis enim pendet agendorum conuentuum poteſtas, illisq; comes eſt indiuidua. 1. Primò, Cui tubæ, cui poteſtas *Quib. concredita.* hæc ad cõuocandum cœtum conceſſa. 2. Dein, an cœtus hoc ſemper in poſterùm, modo ſcil. poteſtate hac, hisq; tubis conuocatus ſit?

Non omnib. 1. Hîc verò, primùm: Satis iam inter omnes cõuenire confido, fabricandarum tubarum poteſtatẽ haud cuiuis eſſe faciendam: factasq; eas cuiuis non patere adeò, vt illis quisq; clãgat pro arbitratu ſuo: h. e. non vnicuiq; competere, vt propria voluntate multitudinum confluxus agat. Hoc ſi admittatur, *Act. 19. 23.* *futura eſt* (inquit S. Lucas) *turbatio non minima.* Si *Demetrio* τοὺς ὁμοτέχνους congregante, illis liceat ſuopte lubitu in theatrum irruere, ibiq; ad horas duas clamorẽ & ſtrepitũ excitare neſcientib. plerisq; cuius rei

cauſa conueniſſent eô, quô conuenerant. In iſtiusmodi conuentibus, plus multò detrimenti, quàm in publicis emolumenti exiſtit. Respublica nulla, nulla democratia eos vnquã ferre potuit: imò (ſcriptura id aſſerente & natura) πάντα κατὰ τάξιν; Habeamus ἐκκλησίαν aut ἔννομον legitimã, aut planè nullam. Faceſſat igitur iſtęc ἀταξία (vt hinc ordiamur) Demetricæ coitiones procul faceſſant. *Act. 19. 39.*

Ad has ergò inconditas multitudines deuitandas, quosdam reliquorum gratia & nomine, poteſtate hac præditos eſſe, neceſſe eſt. Verum vnusne ille futurus ſit, an plures? (proximum .n. hoc eſt.) Imò verò vnus (inquit Deus) hoc vno verbulo *tibi.* Hîc oratos vos vellem, vt attentè iſtud obſeruetis: Deũ, quẽadmodum primis temporib. poteſtate hac ſibi ſoli reſeruata, eos ſemper ipſe cõuocauit; ita à ſeipſo ἀμέσως hanc poteſtatẽ ad vnũ deriuaſſe, prius, quã corpori aliquo collectiuo eandem cõfirmaſſet. *Sed certis quibusdam.* *Non plurib. ſed vni.*

Controuerſiã ingredi eam: Toto an corpore poteſtas illa ab initio inerat, nec ne ἔξω λόγου eſt. Quandoquidẽ etiãſi illud ita fuiſſet, tamẽ alia iam ratione diuino edicto conſtitutũ eſt. Huius ratio bipartita eſſe videat᷑: tũ neceſſitas expeditionis conficiendæ. Tubis interdũ cõfeſtim eſt, imò ante clangẽdũ, quã cõmodè plures in vnũ cõuenire, & de eo etiam ſtatuere queãt: tum diuulſionis vitãdę gratiâ. Tubę ſi à

duobus tractentur, ſonum diuerſum, ac proinde incertum edent, 1. *Corinth.* 14.8. Quo tunc modo cœtui, quem in locum ſit coëundum, innoteſcat? Imò quod peius eſt, cœtus ſic nobis cœtui futurus eſt oppoſitus, quam talem, præſtaret omninò eſſe nullum.

Sicut igitur eas Deus, ex vno ſegmento factas; ſic vni perſonæ μεταδιδωμένας eſſe voluit. Vnum enim, *Tibi*, innuit. Quis vnus ille eſt? Ipſiſſimus Moſes eſt, quem Deus alloquitur, ad quem hoc ipſo *Tibi* collineat. Eũ Deus proprio nomine ſignat: perſonã eius
I. ad tubas malleandas vnicã ſelectam eſſe vult, & ſe-
Vni Moſi. gregatam: earum alicuius fabricam mortalium nul-
Moſes earum fabricator. li niſi Moſi ſoli vult eſſe creditam.

Leuitarum verò, populiq; conuentus, ab *Aharone* filiiſq; eius ſacerdotibus, ſine omni controuerſia celebrandus eſt. Sed quâ illi eos facta monitione conuocabunt, tubam ſi nullam ipſi etiam fabricẽtur? Hoc in controuerſiã ſi vocetur, proceſſus hic diuinus eam omnem dirimet. Cui enim hoc in mãdatis dat? Non Aharoni hoc certè quidẽ, ſed Moſi dictum eſt. Mandatum fabricandæ alicuius tubæ *Aharonem* reſpicit omninò nullum. Nullum *Fac tibi* aut hoc, aut alio aliquo vſpiam loco ſcriptum illi reperiatur. *Moſi* hoc demandatum eſt; & quidem

Moſi

Moſi, non fac tibi vnam, rerum gratia ſecularium; (quam illi haud grauatè concederent,) ſed *Fac tibi duas, fac ambas.*

Verumenimuerò in fabricandis tubis rei cardo non vertitur. Tubæ vni fabricandæ, alteri vtendæ ac poſſidendæ tradantur. *Sic vos non vobis:* priſcum illum tenetis verſiculum. Factas illas atq; confectas, iure. Quis, & poſſeſſione tenebit? Illud etiam apertiſſimè, planiſſiméq; his conſtat verbis: *Et erunt tibi.* Erunt, non, tibi vna: Aharoni altera: Sed *erunt tibi*; ambæ tibi, ambæ futuræ ſunt tuæ. Tertium ſi inuenerint, eam ſibi iure vindicent: vtræq; autem hæ Moſi ſunt traditæ.

והיו לך

Et poſſeſſor earum.

Sic traditionem earum Moſi factam habemus, quæ inſtar Seizinæ cuiusdam eſt, ſiue eum iure earum imbuentis ceremoniæ. Prætereà verba dilucide eum, & efficaciter in poſſeſſionem inducentia habemus: *Erunt tibi.* Adeò, vt earum fabricatio, ſic poſſeſſio Moſi ſoli, & non alii competat. Ampliùs quid deſiderari poſſit, nobis vt conſtet *cuius ſunt tubæ*, quis iure ſuo conuentus agat? Certè quidem Moſes eſt ipſiſſimus; ipſe eſt, qui horum vi verborū certa eius ſtabiliq; poſſeſſione donatus conſiſtit.

Verùm vt progrediamur adhuc longiùs, hoccine tantùm Moſi, temporiq; Moſaico ſic inſeruie-

Poteſtas illa poſt Moſen perpetua.

bat; vt quemadmodum in illo cœpit, ita cum eo finiri debuit? An, *Priuilegiorum perſonalium quæ non trahuntur in exemplum*, vnum iſtud cenſeatur? Nequaquam. In ſequentem ſiquidem *verſum 8.* oculos vlterius paulò veſtros ſi coniiciatis, poteſtatem hanc à Deo traditam, tubarum legem hanc argentearum, legem eſſe perpetuam, in omnes vſq; eorum generationes: non in illam vnam duntaxat generationem duraturam, perſpicietis. Quod permagna quidem ratione nititur: Poteſtatem videlicet perinde atq; vſum ſempiternã fore, nullisq; temporum limitibus definitam.

Moſes eam vt ſummus accepit Magiſtratus.

Perennis igitur cùm hæc ſit, & ſine intermiſſione poteſtas; ad eos qui locum tenent Moſaicum, vt deſcendat neceſſe eſt. Quemnam igitur (quæro) Moſes locum tenuit? Aharonem conſtat ſummum iam eſſe Sacerdotem; vnctum oleo, iuribusq; Sacerdotii ſemper ab 8. cap. vltimi libri abunde præditum & inueſtitum vniuerſis. In Moſe iam, ius aliud, quã ſummi Magiſtratus, ſitum eſt nullum. Vi igitur illius duntaxat, non alterius cuiuscunq; iuris & accepit illas traditas, & retinuit. Sic ille, *Cuſtos vtriuſque Tabulæ, cuſtos vtriuſque tubæ eſt conſtitutus*. Ecquis verò nos meliùs, quàm ipſe Moſes, quo is iure eas obtinuit poſſit ediſſerere? Id docet *5. verſ. Deut. 33.* (quocunq;

cunque ille modo tranſlatus legatur. *Erat in Iiſch-rune Rex*, vel, *in rectiſſimo rex*: vel, *in rectitudine rex*, vel, *in recto regis, dum congregaret Principes populi & tribûs Iſrael*: Cuncta huc recidunt, Moſes, etſi (propriè loqui ſi velimus) Rex non erat; in hoc tamen erat, *in rectitudine Rex*; vel, *in recto Regis*, id eſt, in hoc, ius, quo tribûs Iſraël populiq; principes, congregare pro arbitratu poſſet (ſicut factitauit) habuit *Regale*. In hoc erat ille *Rex in rectitudine*: hoc enim erat *rectitudo Regis*, id eſt, poteſtas regalis. Atque hoc ius ſuum Pharao, lege naturæ ſancitum, ante Moſem natum in Ægypto obtinuit; vt ſine eo quiſquam (publicam puta aliquam motionem & principalem) manum ſuam aut pedem ſuum attollere non auderet. Conſimilem in modum poteſtas hæc, vt Dominationi peculiaris, ac propria, apud gentes obtinuit vniuerſas. Quò mihi magis mirari ſubeſt, quid ſit quod, cum viri illiuſmodi cauſam nullam, quàm hanc agant ardentiùs, quâ τὸ κυριεύειν, Eccleſiaſticis interdictum ſit: Poteſtatem tamen hanc, quæ Dominationi quarto ſemper modo propria viſa eſt, eos ipſos ſpectare ſolos, & alios non vllos, arctè tenent, accuratéq; defendunt. Nulla mihi in hoc dubitatio eſſe poteſt, quin illud Gen. 41.44.

Mat. 20. 26. Ieſu Chriſti, *Vos autem non ſic*, ſibimet ipſis verius, quoad hanc ſentētiam, quadret, quam iis, quibus id illi ſolent obiicere.

Quiq; Magiſtratus in eū ſuccedit. Tertiam hanc igitur partem vt concludamus: Si Moſes vt in ſummi magiſtratus iure, hanc poteſtatem tenuit; in Magiſtratus ſummos populo Dei præfectos, poſteros omnes, qui in Moſaicum, vt locum, ſic ius repoſiti ſunt, ea deſcenſura eſt; in Moſe præſertim primò per Deum ipſum ſtabilita, eiusq; loco indiſſolubili nexu coniuncta (*Lege perpetua*) quæ reſcindi non poteſt; lege, inquam, in omnes eorū generationes perpetuò duratura. Hinc poſteà ſemper primo quoq; die menſis ſeptimi. Primum, Moſes, dein illi, qui Moſi in ſummi Magiſtratus locum ſuccedebant, quotannis ex Dei præſcripto tubis clangebant. Quo etiam tempore ſolenne Feſtum tubarum celebratum eſt; partim, ad diuini beneficii inde in eos manantis recordationē iniiciendā, partim ad recognitionem illam in mētibus eorum renouandam & redintegrandam, qua poteſtatem hanc ad eorum locum pertinere eosq; ius hoc conuocandorum cœtuum ſpectare, perſpectum penitus & exploratum eſſet.

Aronici cœtus quomodo vocentur. Sed quo tum modo Aharonici cœtus congregentur? qua tubá illi? Et huic etiam ita præcautum

à Deo,

à Deo ipſo, & præuiſum eſt, *verſ. 10.* ſubſequente, vt his, non aliis tubis conuocentur. Ordo omninò nullus pro Comitiis, in finem quemcunq; ob cauſam quamcunq; conuocandis, hoc vnico dempto, in totius Legis complexu præſcriptus reperiatur. Ordo, inquam, nullus tertiæ tubæ fabricandæ inſtitutus. In duabus igitur hiſce, reliquæ continentur vniuerſæ. Morem veró, ea ratione Deus, ibidem hunc poſuit, vt filii Aharonici (permittēte ſic Moſe) tubis vterentur quidem, ſed non vt proprio iure, priuato atq; ſuo. Tubæ illis à Moſe traditæ, ab illis excipiendæ ſunt, prout à Phineazo factum legimus 31. huius libri: Sed *erunt tibi* (ipſiſſima Dei verba *erunt tibi*) memoria ſemper repetenda ſunt: Eius illæ nihilominus ſunt: Moſes earum perpetuus eſt Dominus: ius in eo reſidet: iuris nihil ei peculiaris, clangore per Sacerdotes facto aut immutatum, aut imminutum eſt. *Erunt tibi*, verum ſemper ſit oportet: Ius illud ſartum tectum iugiter conſeruandum eſt. Carnem atq; ſanguinem in conſilium fortè ſi adhibeamus, vt Moſi vna, altera Aharoni tradatur, nobis (ſicut quibusdam aliis) accommodatius eſſe videatur. Cum verò Dei verbum, voluntatem diuinam, quoad Moſaicam vtriusq; tubæ poſſeſſionē nobis antè oculos propalàm conſtituat; carnis atq;

ỷ. 10.

Num. 31. 6.

למקרא הצרה ſanguinis τὴν ἀποκάλυψιν, miſſam faciemus : quodq; Deo, idem etiam nobis accommodatiſſimum eſſe videbitur.

Officia duo. Quòd ſi tubæ Moſen, idq; in hunc finem ſpectent, vt cum inſtrumentis illis conuentum agat,
1. duo hæc exin corollaria effloreſcunt. Vnum, vt cõ-
2. uocata congregatio, in vnum venire non detrectet; alterum, vt niſi conuocata ſit, non coëat; vt ſtationem nullus eorum ſuam deſerat. Breui expediam: Coire invnum congregatio cõuocata debet: nõ cõuocata, nõ debet. Duo hæc duabus tubis officia nobis ſunt præſtanda, prout ea à populo Dei ſemper expleta ritè & perſoluta ſunt.

Ita tamen, vt ius hoc in ipſis etiam Moſaicis tẽporibus (quò minus mirari nobis eſt, ſi iam ſic ſe res habeat) in controuerſiam vocatum ſit, & ipſe etiam Moſes deſertus ſit ab officiis duobus, eorum qui vnà vixerunt, & tunc, cum tubæ illi à Deo ſunt traditæ, præſentes conſtiterunt. Sed quinam illi extiterunt, & quis eorum exitus fuit, diligenter attenditote.

1. *Vt vocati cõueniant.* Officium illud primum, ſcilicet vt conuocati accedant, Korah, Dathan reliquaq; eorum farrago (*cap.16. ſequente v.12.*) præſtare recuſarunt. Moſi tubæ ſuæ ſono eos accerſenti, rotundè, apertéq; ſemel

atq;

atq; iterum reſpõſarunt: *Non veniemus.* In Moſis aut tubæ gratiam Moſaicæ pedẽ ne quidem vnum mouerent illi. Aperta, reuera, contradictio hæc: quæ etiam in toto illo capite *Veri nominis* ſola reperiatur. Exitus quàm exitiales perditi illi habuerunt homunculi, nemo veſtrûm eſt quem fugiat. Viui ob id in שאול deſcenderunt, & *Væ* etiam illis, qui temporibus Euangelicis, in eádem cõtradictione (inquit D. Iudas) in cõtradictione Korachi diſperduntur. *Iud. ✝. 11.*

Officium ſecundum id eſt, vt non conuocati nõ coëant; Quòd Moſi pariter ipſi detractum eſt, (vt nouum hoc illis qui eius locum occupant aut inſolẽs nequaquam videatur) *cap. 20. huius libri.* Aquâ deficiente eorum nõnulla colluuies ſeditionẽ atq; diſcordiam concitarunt, & ſuopte ingenio, nullius tubæ ſono edito, tumultuosè admodùm, in vnum cõfluxerunt. Sed & hi ignominiæ etiam notá inuſti ſunt. Aqua dicta eſt *Meriba,* cuius facti ſunt cõpotes. Scitis autem, quid cõſecutum eſt? Eorum nulli, qui dictam biberunt, terram promiſſam intrarunt: Iureiurando ſanciuit Deus, in requiem illos ſuam non ingreſſuros. 2. *Vt vocentur priùs quam conueniant.* *cap. 20. 13.*

Iam hæc licèt vtraq; in vitio ſint: poſterius tamen eſt deterius: A prioribus (qui vocati non cõue- *Vocati non conuenerunt*

niunt) veluti ſurdaſtris in priuatis tantum locis & ſuis conſiditur. At poſteriores hi, qui non vocati coëunt, aut tubam ſibi abſq; vllo *Fac tibi* fabricantur, aut Moſaicam tubam de manibus eius excutere ſibiq; adſciſcere moliuntur. Cauete vobis à poſteriori hoc: Dictum enim illud eſt, eſſe *aduerſus Moſen* ipſum. Proximè hoc illi præcurrit, eiq; cõiunctiſſimum eſt. Qui enim inuito Moſe congregantur, documento illo penitùs inſtructi, alterius properè capaces, aduerſus Moſen, prout hi fecerunt, congregabuntur ipſum. *Periclitamur argui ſeditionis* (inquit Scriba,) & rei agi læſæ Maieſtatis, ob concurſum hunc abſq; tuba factum. DIANÆ tamen, id eſt religionis factus is eſt gratiá.

Conuenerũt non vocati.

Act. 19.40.

Sic vos videre & perſpicere poteſtis, cuius hoc ius eſt, quæ illi officia præſtanda, & quorum hi, qui ea negant, premunt veſtigia. Sanè quidem, vel eadem aquâ baptizati ſunt, vel aquam eandem (*Meribæ*) imbiberunt, qui facinus conſimile perpetrare, hoc eſt, Moſe non vocante, cõuentus agere vel ſemel conabuntur.

Iam verò ad noſtri Ieſu Chriſti quæſtionem: *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legitis?* Sic reſpõdemus: Scriptum illic ſic legimus: Moſen tubarum iurepręditum eſſe: Moſen illas & Moſis ſucceſſores perpetuò

tuò concomitari; deniq; poteſtatem publicorum cœtuũ agendorum eos attingere; penes eos eſſe, ad eos ſolos & omnes pertinere.

Lex conſentanea legi naturæ.

Lex hæc Dei eſt; eaq; non iudicialis aliqua populo dũtaxat Iſraëlitico propria, ſed naturæ legib. & nationum (quæ in toto terrarũ orbe valent) cõſentanea. Nam & in Imperiali hoc Microcoſmo principium motus in capite ſitum, à capite propagatum eſt, ab eo tanquam à fonte ſuo, neruorum omniũ, quibus totum corpus cietur, coniugationes (quas dicunt) originem omnes petunt.

Legi Nationum.

Quemadmodum autem Lex naturæ inſtinctu quodam perrecondito, ipſius creationis luce ad partem principalem: Sic nationum lex rationis luce ad perſonam præcipuam annectit inſtrumentũ. Mirabilis dictarum legum conſenſus cum lege hac ſcripta præclarè conſpirat: vbi (vi *Erunt tibi*) idem organon, eademq; poteſtas Moſi vt Reipubl. illius capiti, ac perſonæ principali commiſſa ſunt. De lege nationum (quæ ante & poſt legem hanc ſcriptã illis terrarum pollebat Regionibus; in quibus hæc vix erat de nomine nota) facile quod hanc rem attinet, & pluribus, ſi tempus pateretur, ex more eorũ conſtaret; quo tum ipſi αὐτοκλήτως vocati, conuenire; tum conuenticula omnia abſimili modo coacta contrauenire ſolebant, vſitatiſſimo.

Legibus ſanè verò Ethnicis conuentus omnes publici, qui ſupremæ authoritatis iuſſu celebratæ non ſunt, ſunt prohibiti. Sint illi licèt vel ἱερῶν ὀργίων ἕνεκα (vt Solonis) vel, *Sub prætextu Religionis*, vt Romanæ leges ſanciunt. Tantum autem abeſt, Chriſtiani vt Imperatores, huic iuri quidquam, vel detrahendum, vel diminuendum eſſe cenſerent, vt eandem ſeuerioribus ſancitis legibus (quibus vel locus ipſe, in quo dicta conuenticula eſſent habita proſcriberetur, cum exilium pœna eius ſceleris eſſet antiqua) illibatam conſeruárunt. Verùm à communibus earum legum initiis progrediens in hac ſcripta lege, Lege, inquam, diuina, quæ omnem huius cauſæ controuerſiam, ſola dirimet, inſiſtet oratio.

Sic nobis lex ſuppetit, quâ Moſes cœtuum cónuocator perpetuus eſt conſtitutus. Sed quam habemus, fortè *Mos vincit legem*; conſuetudo atq; vſus aliò diuertant: Poteſtas vſu potiſſimùm & exercitatione eius cognita ſui indicium dat. Vſus ergò, quomodo inualuit? Quæſtio neceſſaria ea eſt & huic contextui accommodata. Potentia hîc conceditur, ſed inanis illa & ſine cauſa potentia eſt, quæ nunquam in actum producitur. Poteſtas hæc, an in actione aliquando verſata eſt? Poteſtas ea eſt con-

uocandi

uocandi cœtus: An cœtus eâ conuocati ſunt? Conceſſus eſt is, *Erunt tibi*, ita ſe res haberet: An verò ita obtinuit? An ſe ita habuit? *Erătne illi?* Illud iam aliquantiſper inſpiciamus; quid de conceſſu hoc factum ſit, an in vſum reuocatus, locum ſuum obtinuit & principatum?

Hoc autem Moſes haud grauatè feret, quum Moſaico id foret tum conſilio, tum deſiderio: nempe, vt à temporibus priſcis, quæ fuerunt ante nos, ab vna extremitate cæli, vſque ad alteram extremitatem cæli interrogemus: vt quem in morem hæ res ſe geſſerunt, inſpiciamus. Quemadmodum igitur Seruator noſter Ieſus Chriſtus, ad legem nos, hoc ſuo *In lege quid ſcriptum eſt?* transmittit: Sic Moſes verbis hiſce ſuis: *Interroga de diebus antiquis*, ad huius vſum atq; exercitationem dirigit. Hæ tubæ hîc traditæ: Poteſtas hæc ad conuocandum cœtum, quomodo ſunt adhibita? Hoccine, & non alio modo; haccine, non alia poteſtate cœtus conuocatus eſt? vel maximè (vt patebit.) Alios autem hîc cœtus attingam omninò nullos, quàm eos qui Religionis gratia, indicti, coacti, celebrati ſunt.

Praxis vel vſus huius poteſtatis inter Iudæos.

Deut. 4. 32.

Primò de *Moſe* non controuertitur; apud

Per Moſen;

omnes conſtat, ab eo & parem in modum à *Ioſua* ſucceſſore ſuo concilia & conuocata eſſe, & dimiſſa: cui, quoad dictam poteſtatem, haud minùs quam *Moſi* obtemperârunt. Nã quod de *Moſe* obiicitur, res, eum illas, quæ ad Aharonici Sacerdotii rationem pertinebant, tractaſſe, id in *Ioſua*, & in ſummis poſt eum Magiſtratibus, nullam habet veriſimilitudinem.

Ioſuam.
Ioſ.1.17.

Fœdus, Fœderisq; renouatio, res ſunt merè ſpirituales, eam tamen ob cauſam *Ioſua*, (*Ioſua* non *Eleazar*) tribûs omnes, vnà etiam & *Leui*, ad Sichem congregauit. Cœtum, *Ioſuæ cap.24.v.1.* conuocauit; *verſ.28.* dimiſit. *Ioſuæ* enim, ſi conuocare liceat; licet & dimittere: Lex, ratio, ſenſus communis hoc docent: *Cuius eſt nolle, eius eſſe & velle.* Conuocationẽ & dimiſſionem pænes eandem eſſe poteſtatem. Quinimò coitio *Demetrica* ἀτάκτως licèt facta ſit: ea tamen à ſcriba, (cuius eſſet illam agere) diſſoluta, nõ ſcelus ſceleri cumularunt, ſed in ſua quisq; ; *Demetrius* etiam ipſe, pacatè receſſerunt: Ex quo *Demetrio* peiores, qui huic refragantur meritò cenſeantur.

Verum ad Reges feſtinat oratio (ordo quippe Regius huic diſputationi eſt aptiſſimus) Ibi *Dauid* Sacerdotes, aliasq; perſonas Eccleſiaſticas hiſce etiam tubis conuocat. Sed quarum rerum gratiâ? Se-

Dauidem.
1.Paral.15.4.

cula-

cularium? Nequaquam. Nam primò, quum arca loco mouenda eſſet, & iterum quum Templi officia ſuo eſſent ordine diſtribuēda (quæ vtraq; ſolam Religionem vnicè ſpectabant) vt conuocauit, *1. Paralip.15.4.* eoſdem ſic dimiſit, *1.Par.16.43.* *1.Par.23.v. 2.3.6.*

Idem à *Salomone* factum eſt, quum templum Deo immortali deuouendum & conſecrandum eſſet; cœtum coire fecit, *2.Paral.5.2.* & diſſoluit *verſu 10.c.* 7. ſequentis. In modum haud abſimilem *Aſa* in Religione ad priſtinam integritatem reſtituenda, &, vt ſic reſtituta illæſa ſemper & illibata permaneret, cœtum vniuerſum, ſolennis iuramenti aſſociationis vinculo arctiſſimè conſtringendo, fecit: & quidem harum ſono tubarum id fecit. *Salomonem, 2.Pa.15.14. Aſam,*

Easdem *Iehoſchaphat* in publico ieiunio promulgando: *Iehu*, in ſolenni ſacrificio peragendo: *Ioas*, in ruinis templi (rebus Eccleſiaſticis) reſarciendis: *Ioſias*, in purgando templo, & confuſo ſuperſtitionum cumulo de medio tollendo adhibuerunt. *Iehoſaphatum, 2.Par.20.3. Iehu; 2.Reg.10.20 Ioaſum; 2.Par.24.5. Ioſiam, 2.Par.34.v. 29.30.*

Reb. in his omnibus & ſingulis, dicti Reges, Sacerdotes atq; Leuitas ad tractanda Religionis negotia omnes conuocarunt. In vnico illo *Ezekiæ*, immoror præclaro facinore. Rex ille erat. Mandatum ſuum ad conuocandos vnà cum fratribus ſuis, ſacerdotes, emiſit. Quas ob res? *Ad res Ie-* *Ezekiam; 2.Par.29.15.*

houæ. Quo in loco Sacerdotum quatuordecim primarii viri nominatim deſcripti ſunt, qui vi mã-dati illius regii, vnà cum fratribus ſuis, *Ex præcepto Regis, ad res Iehouæ* omnes conuenêrunt. Pleniùs quid, quid illuſtriùs dici poſſit, penitùs ignoro. Sunt res tractatæ ſpirituales; perſonæ conuocatæ ſpirituales, tubâ tamen regiâ conuocatæ.

Hoc continuò modo ad captiuitatem vſq;. In ca-
Mardocheũ, ptiuitate *Mardochæum* habemus? qui (quum tot tan-
Heſter. 9.17. tarumq; prouinciarum gubernacula tractaret) dies *Purim* præſcripſit, & Iudæos eius Prouinciæ omnes, ad celebrandos eos dies conuocauit.

Nehemiam, *Nehẽ*. 7.64. Captiuitate finita tubam *Nehemias* penes ſe continuò retinuit; qua Sacerdotes conuocauit: Primò, vt, quo quiſq; locum ſibi proprium iure vindicaret, explicatis eorum genealogiis oſtẽderet: poſt-
Neh. 13.11. eà vt in ſtationes ſuas, quas eo abſente, ob inopiam deſeruerant illos reſtitueret.

Maccabæos. Sic vſum habemus à ſuperioribus vſque ad *Maccabæos* ductum temporibus: apud illos verò idem hoc in luce clariſſima & plusquàm meridiana verſatur. Sic enim coram *Simeone* duce Iudæorum communibus ſuffragiis facto propalàm & aper-
1. *Mac*. 14.44 tè profitentur ac ſtatuunt: *Nemini vt liceret* ἐπισυ-

στρέψαι

στρέψαι συστροφήν τινα, conuentum aliquem agere αὐ δὲ αὐτοῦ. Ex quo teſtatiſſimum eſt, *Iudaicæ* gentis procurationem, eundem ſemper curſum tenuiſſe: alioqui quid cauſæ eſt cur Religionum conuerſiones inter Regia ſemper facinora numerentur? Et mutato Rege diſparatis Religione atq; moribus imbuto, publica etiam Religionis forma, & quaſi facies immutata ſit? Quod quidem ſoli Sacerdotes nunquam aut efficere potuerunt, aut impedire. Illis abſque præſcripto regio coëundi facultas iure facta ſi eſſet, edictum nullum quod religionem attinebat, aut egredi renuentibus illis potuit aut approbari. In illis ſiquidem (ſua voluntate, ad cõſtituenda Religionis negotia, idq; iure coactis) ſitum eſſet, ei, obſtare ſemper pro arbitratu ſuo, quo minus exiret, & officere.

Sic à *Moſe* ad *Maccabæos* videre eſt, quinam dictam iam ſępiùs poteſtatem tractarunt. Quid autem dicam ampliùs? In tota populi Dei vniuerſitate; Regum nullus, pietate ac Religione præditus, qui hãc poteſtatem non exercuit: Prophetarum omninò nullus, qui poteſtatis huius, vel autoritatem minuere, vel exercitationem, quaſi interdicto aliquo diuino prohibere auderet, repertus eſt.

An verò Eſaiam (vel cogitatione noſtra ſe-

mel fingamus) aut *Ezekiam*, Sacerdotes ex mero præſcripto Regio, *Ad res Jehouæ* conuocantem, aut Sacerdotes ſic congregatos ferre æquo animo voluiſſe; ac non in illud potius vocem ſuam tanquam buccinam ſuſtuliſſe, ſi in intimis conſcientiæ eius

Eſaia 58.1. ſenſibus infixum hoc non eſſet, ſcilicet ad officii rationem ſpectare Regii cœtus indicere: Subditorum verò obtemperare & coire? Nunquam profectó.

Quid tum? An verò omnes hi à recto deuiarunt? an verò eos vno hoc de crimine omnes condemnabimus? Hoc verò vobis maximè cauendum & prouidendum puto. Siquidem hos ſub toto illo regimine, & non alios omninò vllos, in filiorum ſuorũ

Pſal. 73.15. numerum adſcriptos eſſe voluit Deus. Hos ergò, ſi eam ob rem condemnemus, vniuerſam filiorum Dei generationem, perfidi vt reprobemus, neceſſe eſt. Ex propoſitis tamen hoc efficitur; huc deuentum eſt; vt vel Principes, quia in conuocandis cœtibus authoritatem plusquam Regiam arroganter vſurparunt: aut Prophetas, quia facinus id perpetrãtibus illis, aſſentatorum inſtar blanditi ſunt, condemnemus: vel facere illis, quod fecerunt licuiſſe: nec in eo factitando vocationis ſuæ limites tranſiliiſſe confiteamur neceſſe eſt. Et certè quidem poſte-

poſterius illud (quod proin fateri debemus) verum eſt atq; ſincerum.

Atq; hoc quidem, vt, quid populo Dei electo & proprio in more poſitum fuit, innoteſcat, abundè ſufficiat. Sed Iudæi illi fuerunt. Nobis autem *Iudaizare* nō placet. Sed & hæc fortè lex, vna mandatorū eſt eorum, quæ in ritibus poſita, reſciſſa Chriſti aduentu & abrogata ſunt. *Epheſ. 2. 15.*

Quæro igitur, cùm Deus in carne factus eſt conſpicuus, quomodo ſe res habuit? An verò Chriſtiani omnes conuentus, priſcis illis, quod hanc rem attinet, omninò conſimiles, in conſpectum ſe dabunt? vel maximè. Illis, inquam, veteri ſub fœdere celebratis per omnia conſentanei. Tanta nimirum, tam conſentiens, conſpirans & continuata eorum cognatio eſt. Siquidem Chriſtus *Matth. 18.* conuenientibus illis de auxilio multùm promittit ſuo: de alio autem aliquo ordine nouo, præterquam priſtino illo, nihil quidquam præſcribit. Qui quidem ob eam ipſam cauſam perpetuò à nobis conſeruandus eſt inuiolatus. *Praxis vel vſus huius poteſtatis inter Chriſtianos.*

Tempeſtas (quam ſcitis) poſt Chriſtum extitit, in qua Reges & Regiones Deum ἄθεοι ignotum coluerunt. Tempus eam ſequutum eſt, in quo Reges fidem Chriſtianam amplexi, non Religionis

antè, quàm harum poteſtatis tubarum, facti ſunt cõpotes. Res hęc ex Conciliis, 1, Generalib. 2, Nationalibus & Prouincialibus. 3, ſub Imperatorib. & 4, Principibus centenorum plurium annorum ſpatio in vnum coactis, manifeſta fiet.

In Conciliis OEcumenicis.

1. A generalium primò Conciliorum comitiis vt ordiamur; ἐξ ὑπαρχῆς illa poteſtate hac ſi nõ ſunt habita, vno hoc ictu Concilia omnia OEcumenica reſciſſa nobis illico ſunt & irrita. Ne vnum Eccleſię Chriſti ad hodiernũ vſq; diem generale Cõcilium ſuppetit, vnâ hac liturâ deleta ſunt omnia: reliqua facta ſunt nulla; ne vnum quidem eſt reliquum. Siquidẽ, quæ vnquã extiterunt; hoc modo, & cõuocata, & celebrata ſunt omnia. Quinetiam illorũ quatuor primariorũ, quorũ æſtimationẽ Chriſtiani omnes ſumma ſemper veneratione proſecuti ſunt, ne quidẽ vnum in legitimis cẽſendũ eſt: Si nouæ huius opinionis commentum pondus & autoritatem habeat. Aſſertionem hanc abſurdam & abſonam tot ac tanta, imò & his peiora incõmoda, quę vitare nullo modo poſſumus, cõſequuntur, ſi conuentuũ exiſtimationẽ ſic actorum, vel infringere conemur, vel imminuere. Exploratè. n. hoc cognitũ eſt, Cõcilia omnia OEcumenica, ſeptem illa, (nam plura in OEcumenicis numerari nõ debent, & o-

ctauum

ctauum illud in res tantùm priuatas coactũ eſt)hoc modo celebrata fuiſſe: Reliqua Occidentalis tantum Eccleſiæ comitia;proin Cõcilia nõ fuerũt OEcumenica. Orientalis ſimul & Occidẽtalis Eccleſiæ cõfluxus Cõcilium efficit ſolus OEcumenicũ. Cuiuſmodi cõfluxus ad publica Eccleſiæ negotia procuranda inſtitutus, in nullis aliis niſi in ſeptem illis reperiatur: Vnũ modo & vnicum Ferrarienſem ſi exemeris, qui auxilii ſpe, ſibi ab Orientalib. ferendi, ſed fruſtrà,(vt conſtat,)coactus eſt. Verùm ille quo primũ tẽpore dimiſſus, eodẽ diſſolutus planè eſt ac diſſipatus. Synodos igit᷑ has 7. breuiter ſic percurramus;vt nihil quidquam ex cõmentis hiſtoricorũ decerpamus: (plura illi literis, quàm,quæ oculis ſuis vſurparunt, ſæpiuſculè mandare ſolent; proin res ad animorum ſuorum conceptus fingunt & fabricantur, atq; affectionis in alteram partẽ nimiùm propendentis notâ crebro inuruntur:) Sed ex memoria publica ex actis ipſorum Cõciliorum & monumentis,quę edicere in primis, qua autoritate coacta ſunt, & teſtatum reddere poſſunt, in medium afferamus omnia. Præclarè autem Eccleſiæ actum eſt: Quod Cõciliorũ tot extent eorũ,quæ ad veritatis hanc rem quod ſpectat,inueſtigationem, illius, quâ ius hoc emineat,nos quaſi manu ducant.

Inprimis igitur,quoad magnum illud Nicenum

Συνεκροτήθη τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Κωνσταντίνου συναγαγόντος ἡμᾶς ἐκ διαφόρων πόλεών τε καὶ ἐπαρχιῶν.

Concilium & OEcumenicorum omnium, quæ in toto Chriſtianorum orbe vnquam extiterunt, omninò primum: totum illud Concilium in epiſtola ſua Synodica, ad Eccleſiam Alexandrinam coniunctis omnium ſententiis ſcripta, teſtatur ſe (piiſſimo Imperatore Conſtantino ex variis ciuitatib. eos, atq; prouinciis vnum in locum cogente) congregatos eſſe. Epiſtolam illam in Eccleſiaſticis annalibus in *Socrat.1.9.* & *Theodoret.1.9.* adhuc videre eſt integram. Hîc mihi quæſo, bona veſtra cum venia liceat aliquantiſper inſiſtere: Siquidem aut hoc, aut nullo loco, cõculcato inprimis ſepimento ius (ſi quod fuit) euanuit. Niceæ 318. congregati ſunt Epiſcopi (perhonorificè eos vt vſurpat *Victorinus*) *totius orbis lumina:* viri, pietate, doctrinâ, virtute, animiq; excelſi & inuicti magnitudine, omnium qui in toto Chriſtianorum orbe vnquam extiterunt, longè præſtantiſſimi; viri, qui ad veritatem Martyrio ſuo conſignandam, animarum ſuarum ad mortem vſq; prodigi fuerunt. Ecquis horum, Imperiali authoritate; vtpote iniquè cõuocatus, coire detrectauit? aut quum aderat dictam authoritatem, factæ in eam alicuius proteſtationis vel verbulo, imminuit? aut ius aliquod Eccleſiaſticũ, quo ſuopte Marte coire poſſint, vindicauit? Ne quidem vnus.

Ecquid

Ecquid in cauſa erat, vel quia tot viros tam conſtanti fama atq; omnium ſermone celebratos, ius ſuum & proprium latuit? vel quia id, quod ius ſuũ eſſe nouerint, toto illo tempore, quo celebratum eſt concilium obmuteſcentes ne verbo aliquo vindicare timidiuſculi auderent. Aſt interfuerunt tũc illi Concilio *Spiridion, Paphnutius, Potamon*, aliiq; quã plurimi (ſed hos honoris cauſa nomino) qui haud ita pridem dexteris eorum oculis effoſſis, dextrorũque poplitum & axillarum neruis inciſis inuictã animi ſui conſtantiam reddiderunt teſtatiſſimam. An verò his animos atq; ſpiritus defuiſſe, aut eoſdẽ perpuſillos iã factos, fractos adeò & debilitatos fuiſſe, vt ad ius ſuum recuperandum, vel hiſcere quidem non auderent, cogitatione fingamus?

Concilium illud Nicenum (quod omnes vbiq; Chriſtiani ſumma veneratione ſemper & admiratione proſecuti ſunt) eſſet certè quidem in die tum diuino tum humano ἀναπολόγητον, ſi iure Eccleſiaſtico prodito, iniquiſſimè id ab Imperatore, vel vſurpandum vel ab Eccleſia auferendũ, quaſi facta conſpiratione ſuſtinuiſſet; præſertim, quũ exẽplar illud extaret, Cõciliis omninò omnibus, quæ ad mundi vſque terminum conſequerentur, peſſimum & periculoſiſſimum. Sed iuris nihil iſtiuſmodi extitit; illis

alioqui nec ingenii acies ad diſpiciendum defuit, nec animi magnitudo ad vindicandũ. Sed eos nequaquam fugiebat, aut cuius illæ tubæ; aut cui ea verba (*Erunt tibi*) dicta ſunt: quæ eis iuſtiſſima cauſa viſa eſt, quod nec earum alterutram prenſarẽt, nec, *Hæc noſtra tuba eſt*, dicerent.

Verùm enimuerò (verè loqui ſi velimus) rationis cõpos eſt nullus, cui hoc rationi conſentaneum nõ videbitur: ſcilicet, Concilio illi primario ſincerè, atq; candidè, in Eccleſiaſtico illo iure vendicando, agẽdum fuiſſe; ſi propriũ Eccleſiæ & peculiare fuiſſet, (idq; ſic illis innotuiſſet) Hîc in primis oportuit, vt Conſtantinus ſe; vel Chriſt. religionẽ non amplexurum; vel poteſtate hac ad celebranda Cõcilia vlterius non vſurũ, palàm & apertè profiteretur. An verò ſic ſe res habuit? Nihil minùs. Quid ita? fortaſſis quod huic nulli interfuerũt, qui ea Cõcilia, quę graſſantibus perſecutionib. coacta ſunt, à limine ſalutarunt: à quib. potuiſſent veterem illã Eccleſiæ in coitionib. diſciplinã ediſcere. Imò verò ab Occidente *Hoſius Cordubæ Epiſcopus*, qui *Concilium Elibertinum* in *Hiſpania*; ab Oriente *Euſtathius Antiochiæ* Epiſcopus, qui Cõcilium conſimile *Ancyranum* gliſcente perſecutione tenebat adfuit: (quæ vtraq; Concilia adhuc extant conſpicienda:) quorum duo hi præſides

Cõc. Elibert. Tom. 1. 600.

Cõc. Ancyr. Tom. 1. 446.

extite-

extiterunt. At duo hi, qui ad Concilium Nicenum primi acceſſerunt, in primariis ibidē locis conſederunt. Iuris aūt huius, neuter illorum, aut cauſam egit, aut quicquā cognouit: Sed poteſtati tunc ſuę finem impoſitum fuiſſe, & tubā Imperatoriā principatum iā obtinuiſſe; haud illibenter vterq; agnouit. Hoc certè primum Cōcilium diligenti animaduerſione ſi expendatur, ad perſuadēdum valeat plurimùm. Primarii huius exēplar magni momenti eſt, vtpote cuius ipſiſſimis veſtigiis omnia, quæ ſubſecuta ſunt Concilia inſiſtebant. *Atque hæc de primo.*

συνελθόντες κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας.

2. Secundum generale *Concilium* eſt *Conſtantinopolitanum*. Quiſnam illud conuocauit? Extat Epiſtola ipſorum ad Imperatorem ſcripta, in qua vi *Tractoriæ* Imperatoris, ſe illîc eſſe coactos profitentur.

3. Tertium eſt *Epheſinum*: cuius acta (Græcè nūc edita) inſpiciantur. Quater illic ſigillatim agnoſcunt, Imperatorio ſe [a] oraculo, [b] nutu, [c] iuſſu, & [d] mandato conuocatos eſſe.

a Συγκροτηθεῖσα ἐκ θεσπίσματος τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων.
b Νεύματι τοῦ ὑμετέρου κράτους συναχθεῖσα.
c Συναχθῆναι τὸ ὑμέτερον προστέταξε κράτος.
d Συναχθῆναι ἐκέλευσεν ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια.

4 * *Chalcedonenſe* quartum eſt, cuius hæc eſt veluti proclamans ἐπιγραφή, *Facta eſt Synodus ex decreto piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum, Valentiniani & Martiani.*

* Tom. 2. 129.

*I*llud autem habetur exploratū, ad *Niceam* primò coactum fuiſſe illud Cōciliū: Poſtea aūt illinc, Im-

Conuenien-te Concilio ſecundū ſacram præceptionem,

peratoria autoritate ſola interpoſita *Chalcedonem* reuocatum & translatum.

Tom. 2. 579. 2. 666.

Imperator Iuſtin. quintam OEcumenicā Synodum Epiſcopis Eccleſiarum euocatis coegit.

Tom. 3. 237. 244.

Secundum pijſſimā iuſſionem mãſuetudinis veſtræ.

Iis quæ per manſuetiſſ. fortitudinis veſtræ; ſacrã dudũ præcepta ſũteſſicaciter promptam obediẽtiam exhibere.

[a] *Tom. 3. 453.*

[b] *De Concil. lib. 1. cap. 13.*

5. His concinit *Conſtantinopolitanum Concilium* ex OEcumenicis quintum, atq; his etiam & ſuis ipſorum verbis: *Iuxta pium iuſſum à Chriſto amati, & à Deo cuſtoditi Iuſtiniani Imperatoris.*

6. Sic etiam & ſextum, *Conſtantinopolitanum*, expreſſis hiſce verbis *Agathonis Epiſcopi Romani* in eo ipſo Concilio habitis; *Secundum Imperialem ſanctionem congregata eſt, & pro obedientia, quam debuimus.*

7. [a] Eodem & ipſo modo, ſeptimum illud, Nicenum atq; vltimum loquitur Concilium vel Synodus: *Quæ per pium Imperatorem* (videlicet *Conſtantini & Irenes*) *decretum congregata eſt.*

Atq; hæc ſola & omnia ſeptem dicta Concilia in OEcumenicis cenſentur. In quibus omnibus veritatis vis, lucis ſuæ radiis [b] *Bellarmino* oculos ita perſtringit; vt eo ipſo in loco rationes varias commemoret, ob quas Concilia authoritate Imperatoria celebranda eſſe oſtendat; in quo duram illam prouinciam in ſe ſuſcipit, quâ demonſtraret, dicta concilia autoritate prædicta non eſſe celebranda.

In Conciliis Nationalib. & Prouincialib. à Conſtantino ad Iuſtinian.

II. Verum Concilia fortaſſis OEcumenica ſuã habent & peculiarem rationem: Conuentus illi generales celebrari hoc modo poſſunt: Sed *Nationales*

aut

aut *Prouinciales*, cuiuſmodi noſtri ſunt, quo modo? Eodem prorſus & non alio. Ab illis orſus eſt *Conſtantinus* prius, quàm ad OEcumenicum conuocandum Nicenum deſcenderat. Eius Tractoria extat conſpicienda. *Euſeb.10.5.* Quâ prouinciale primum Concilium in *Gallia* coëgit. Canone ſiquidem Eccleſiæ *Nullo*, vel, *Syracuſanus* in *Sicilia* Epiſcopus: vel, *Reſtitutus* Epiſcopus in *Britannia Londinenſis* citari, citati autem fuerunt, niſi ſola Imperatoris Tractoria ad *Synodum Gallicanam*, (prout id ſe reuera habuit) potuiſſent. Verum hoc fortè ineunte regimine perpetrauit, cum religionem Chriſtianam vix ſummis labris attigiſſet, nedum penitus imbibiſſet. Imò verò, primò atq; vltimò idē factitauit. Quemadmodum enim regni ſui anno primo iſtud conuocauit; ita anno trigeſimo, anno ante mortem eius proximo *Concilium* illud *Tyri* coëgit: inde ad Ieruſalem vſq; tranſtulit; poſtremò coram ſeipſo apud Conſtantinopolim comparere iuſſit. Literæ quibus conuocati ſunt extant conſpiciendæ *Socrat.1.34.* Conſimili ratione à [a] *Conſtante Sardicæ*; à [b] *Valētiniano Lampaſci*; à [c] *Theodoſio Aquileiæ*; à [d] *Gratiano Theßalonicæ*, poſtea factum eſt.

[a] *Theodoret.* 2.8.
[b] *Sozom.*6.7
[c] *Tom.*17.18
[d] Συνοδικ. 453.

Longum eſſet omnia percurrere: de illo duntaxat Aquileienſi Concilio hæc ſufficiant. S.Ambro-

ſius vir magno animo & excelſo, ſi quis vnquam in Eccleſia fuit exaggerat⁹, & qui Eccleſiaſtica iura laterū eius corporiſq; oppoſitu arctiſſimè tenuit, defendit accuratiſſimè, illi Concilio interfuit & præfuit. A quo is ſuo & reliquorum nomine ſic ſcribit: *Iuxta manſuetudinis veſtræ ſtatuta conuenimus.* Ad hanc rem confirmandam, quæ iam in manibus eſt; Ambroſiano illo Cōcilio planius nullū inueniri poteſt. Vnum hoc attexam (quod accurata conſideratione dignum eſt:) Epiſcopos autoritatem in celebrandis Conciliis Imperatorum eorum, qui hæreticæ, i. Arrianæ prauitatis labe conſpurcati, eandē profitebātur, agnouiſſe; ad eorū Cōcilia iuſſos conueniſſe: vt cōcilia eſſent indicta humiliter, ab eis & obnixè petiiſſe. Conueniſſe, inquam, vt *Hoſium* ad illud [a] *Ariminenſe; Liberium* ad *Seleucianum* & [b] *Syrmienſe.* Petiiſſe, vt [c] *Liberium* à *Conſtantio:* [d] *Leonem* à *Theodoſio* pro *Epheſino ſecundo: Innocentium* ab *Arcadio:* Atque hi quandoq; exorarunt; vt *Leo*, quandoq; repulſam paſſi ſunt, vt Liberius & Innocentius: qua tamen accepta pacatè continuerunt ſe, nec ſuopte ingenio auſi ſunt conuentus agere.

Qui ad remouēdas altercationes congregare, ſtuduiſtis ſacerdotale cōciliū. Tom.1 718.

a Tom.1.680
b Socr.2.24.
c Lucif. oper.
d Leo Ep. 9.

3. Sed ab authoritate hæc fortaſſis Imperiali, nō autē à Regia, quę multò eſt minor, pari ratione fieri potuerunt. Pari prorſus. Nam circiter annū Chriſti 500.

Sub regib. à Iuſtiniano ad Carolum Magnum.

ſti 500. diſſoluti Imperii Regiones & regna Occidẽtalia in Regũ manus deuenerunt, qui autoritatẽ in cõuocandis cõciliis prorſus eandẽ habuerũt, tenuerunt, poſſederũt, atq; tractarũt: vt in *Italia; Theodoricus,*[a] *Romæ: Alaricus,*[b] *Agathæ.* In *Gallia* (Chriſtianorũ ibi regũ primus) *Clodouæus, Childebertus, Theodebertus, & Cherebertus:* In Cõcilio [c] *Aurelianenſi* primo; [d] *Auernenſi,*[e] *Aurelianenſi* ſecundo, [f] *Turonenſi.* Et poſtea rurſus *Gũthramnus, Clodouęus, Carolomanus* & *Pepinus:* In Concilio [g] *Matiſconenſi* primo [h] & ſecundo; [i] *Cabilonenſi,* & illo, (quod dicitur) [k] *Francico,* & in Cõcilio *Vernis* [l] habito. Vicenis ſcilicet eorum ad minimùm in Gallia celebratis.

*I*n Hiſpania decem ſucceſſiuè Reges: In Conciliis duob. [a] *Braccarenſib.* & in [b] decem *Toletanis* trecẽtorũ cõtinuo ſpatio annorum. Modo autem quo? quib. præſcriptis verborum formulis? *C*oncilia inſpiciantur ipſa, quorum vel acta ſic loquuntur: ex [a] *Præcepto,* [b] *Imperio,* [c] *Iuſſu,* [d] *Sanctione,* [e] *Nutu,* [f] *Decreto:* ex [g] *Euocatione,* [h] *Diſpoſitione,* [i] *Ordinatione Regis.* Vnũ ſic loquitur: [k] *Poteſtas permiſſa eſt nobis.* Alterum, [l] *Facultas data eſt nobis.* Tertium, [m] *Iniunctũ eſt nobis à rege.* Stylos eorũ notate ſingulares: Plenius nihil aut planius eſſe poteſt. Atq; annos iã poſt Chriſtũ p̃teruecti ſumus octingentos 4. Imperiũ tunc quoddã Occidentale obortũ eſt *Carolo M.* clauum tenente. An nõ

Synodus ex præcepto glorioſiſſimi regis Theodorici cõgregata.
a *Tõ.* 2.470.
b *Tõ.* 2.504.
c *Ibid.* 2.511.
d *Ibid.* 2.558.
e *Ibid.* 2.551.
f *Ibid.* 2.817.
g *Ib.* 2.840.
h *Ib.* 2.857.
i *Ib.* 3.208.
k *Ib.* 3.437.
l *Ibid.* 3.439.

a *Tom.* 2.825 829.
b *Tõ.* 2.547. 859.
Tom. 3.67, 79, 87, 181, 184, 204, 216, 374.
a *Tõ* 2.270.
Tom. 2.551.
b *Ibid.* 3.67.
c *Ibid.* 3.184.
d *Ibid.* 3.237.
e *Tõ.* 3.391.
f *Tom* 3.391.
g *Tom.* 2.840
h *Eod.* 2.857.
i *Eod* 3.208.
k *Eod.* 2.504.
l *Eod.* 3.216.
m *Eod.* 3.682

A Carolo Magno ad Arnulphū.
a Tō.3.640.
b Tō.3.679.
c Ibid.3.682.
d Ibid.3.686
e Ibid.3.693.
f Ibid.3.700.

verò ille tubis his, vt ſuis atq; propriis in ſex ſigillatim Conciliis; [a] *Francofurtenſi;* [b] *Arelatenſi;* [c] *Turonenſi;* [d] *Cabilonenſi;* [e] *Maguntino,* & [f] *Rhemenſi,* conuocandis vſus eſt. Quid autem in illis dicitur? Rhemenſe quod poſtremo in loco poſitum eſt, illud eloquatur: *In conuentu more priſcorum Imperatorũ congregato à piiſſimo domino noſtro Carolo.* Concilium videlicet illud cum iure non alio, quam Imperatorum priſco veterum conuocaſſe. Quo vno verborum complexu quid illi, & anteceſſoribus ſuis, ab initio omnibus in more ſemper poſitum fuerat, explicauit.

a Tō.3.703.
b Ibid.3.832.
c Ibid.3 866.
d Ibid.3.977
e Tom.4.17.
f Tom 4.28

Cõſimilem in modum, *Ludouicus Pius*, *Lotharius*, *Ludouicus Balbus*, *Carolus Caluus*, *Carolus Craſſus*, & *Arnulphus*, in his ſigillatim Conciliis, [a] *Aquiſgranenſi*, [b] *Maguntino*, [c] *Meldenſi*, [d] *Wormatienſi*, [e] *Colonienſi*, & [f] *Triburienſi*, poſtea fecerunt. Atq; hoc modo ad annum obtinuit nõgenteſimum. Nam hunc circiter annum (anno ve vno, aut altero, hũc ἀμέσως, vel præcedẽte vel ſubſequente) Cõcilium illud in Germania *Triburienſe* eſt habitum, *Cùm Concilium ſacrum continuari decreuiſſet:* & [g] *præſidente pio principe Arnulpho.*

g Tom.4.41.

Hîc ſcrupulus ſi iniiciatur: Concilia extare nõnulla, quorum acta, eorum à quibus ea conuocata ſunt, mentionem nullam faciunt; Sic eximendus

eſt;

eſt; vt mente complectamur, poſtquam [a] Niceni Concilii Canones edicto Conſtantiniano rati & confirmati eſſent; in quo, (perindè atq; in [b] Chalcedonenſi Cõcilio) ſancitum eſt, vt per ſingulos annos, in ſingulis prouinciis bis in anno Epiſcoporum Cõcilium fieret, potiſſimùm verò; poſtquam [c] Iuſtinianus effeciſſet, vt Cõciliorum quatuor OEcumenicorum Canones, vim Imperialium legum & naturam obtinerent, (lege pro illis ſic lata;) poſteriora omnia Cõcilia Imperiali authoritate, habitualiter ad minimum; id eſt, etſi, nõ, (vt in ſuperioribus) formali Imperatoris & expreſſo cõſenſu, venia tamen eius, ex veteri cõceſſu, neceſſaria cõſecutione illata, coacta & celebrata fuiſſe.

[a] *Nicæ. Can. 5.*

[b] *Chalced. Can. 18.*

[c] *Auth. 131.*

Bene ſe res habet. Hactenus certum tuba ſonum edidit: poſthac verò in Cõciliorum Tomis ducentorum ferè ſpatio annorum altum eſt ſilentiũ, ad annũ Chriſti proximè 1180. quo [a] Cõcilium Lateranenſe eſt habitum: atq; tunc reuera noua rerum facies introducta eſt. Tempore illo Pontifex Romanus verſuto ingenio & verſatili ſuo, tubarum vnam Principibus, qui eam eò vſq; vt ſuam tenuerunt, arreptam; Romam ſecum altera illis relicta aſportauit.

[a] *Tom. 4. 101*

Tubarum vna ablata.

Tempus quidem concionandi nobis præfixum

ad Cõcilia omnia, quod rẽ hanc vnam Conciliorũ ſpectat, vel cõmemoranda ſolùm & citãda: (tot illa sũt) ter auctũ, nõ ſufficeret. Quomodo erga Deũ ſe geſſerit *Abraham* cum quinq; ciuitates ab incẽdio & flãma cælitus delapſura fuſis precib. vindicare contenderet, & à 50. viris ad 10. deſcenderet, memoriâ tenetis: *C*urſum ego hîc tenerẽ contrarium, à 10. aſcendendo ad 50. imò 60. imò 70. imò 80. & plura Cõcilia OEcum. Nationalia, Prouincialia ab Impp. Orientis & Occidentis; à Regib. Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ (vt ſuprà à *Moſe* ad *Maccabæos*: Ita hîc à *Conſtantino ad Arnulphũ*) celebrata. Tot.n. centenorum tot, cõtinuo decurſu annorum extant omnia; ad dictam poteſtatẽ teſtandã Imper. hanc, & regiam clara, perſpicua, plena, validaq; conſpicienda: prout reuera cauſa hæc, copia potius, quàm inopia laborat ſua. Atq; hoc antiquo Chriſtianorum orbi, vti laudatiſſimo in more poſitum eſt, cœtus ſic tamdiu eſt conuocatus: Ratio autem adhuc nulla afferri poſſet, qua tracti veterem illam conſuetudinem tot ſeculis, tamq; ſanctis approbatam veluti ducem ac Cynoſuram perpetuò non ſequamur.

In perſecutionis tempore Conuentus quomodo habiti, 300. annos ante Conſtantinũ.

*I*mò aliqua: Quid.n. ad 300. illos ante *Conſtantinum* reſpondetis annos? Quo ſe modo tunc conuentus habuerũt? Quinam illos, tot annorum ſpatio, (plures enim habiti ſunt) conuocarunt? Ad controuerſiam

ſiam, *in Palęſtina*, de *Paſchate*; *Carthagini*, de *Hæreticorũ* baptiſmate; *Romæ*, de *Nouato*; *Antiochiæ*, de *Paulo Samoſateno*; ſopiendam aut de medio prorſus tollendam. Iſti quomodo conuenerunt?

Eodem prorſus, quo Judæorum populus in Ægypto, prius tyrannide preſſus Pharaonica, coactus eſt: qua duratẽ pſecutione vſq; ad Moſen illis à Deo pfectũ Eccleſiæ nomine cenſebãtur. Cõditiones vtriuſq; omninò sũt cõſimiles. Magiſtratus nullus eorum in Ægypto cõuentus egit: Cui hæc ratio eſt ſubiecta, quòd Magiſtratus illis, qui hoc faceret deeſſet. Pharao (certè) id ne ſemel fuiſſet conatus. Nõ, quòd (ſpero) in alienas ille & Eccleſiæ poſſeſſiones irruere vllo conſcientiæ ſcrupulo dubitarit: Sed qđ eã viis & modis in id omnib: tentatis, extinctam penitus vnà cum conuentib. ſuis, & extirpatã eſſe, concupiuerit. Sed hoc non obſtitit, quò minus Moſes in principatu ab ipſo Deo conſtitutus ſummo, tubas illas ſibi à Deo traditas accipere, aſſeruare, atq; in eum finem, in quem demandatæ ſunt, nempe ad agendos conuentus adhibere potuiſſet. Atq; Moſi ſoli, cui ſoli poteſtas hæc eſt concredita, id tunc facere licuit. Moſi iã illud: (*Quis te nobis ad cõuocãdos nos iudicem conſtituit?*) prout illi iam olim in Ægypto, ab vno eorũ obiectũ eſt, nõ potuiſsẽt obiicere: nec viã tubis introducẽdis, his verbis clamando, obſtruere:

.I *Vt in Ægypto.*

Exod. 2. 14.

Imò verò prout nobis libitum eſt ſemper cõueniemus; priſtinumque illum morem toties à nobis in cõuentibus noſtris in Ægypto frequentatum, inuiolatum cõſeruabimus. Nequaquam: Deus iam illis, ipſiſſimus, inquam, Deus, aliũ coeundi modum præſcripſerat. At verò penes Deũ, vti ſpero, bona cum venia, facultas erit, dictam poteſtatem, vel in totius corporis membrum principale transferendi; vel quocunq; alio modo, pro arbitratu ſuo diſpenſandi.

2. *Vt ſub Captiuitate Babylon.* Idem ipſe Eccleſiæ ſtatus in Captiuitate Babylonica: dein in perſecutione ſub *Antiocho* contigit. Atque hæc tria tantùm in veteri toto Teſtamento reperta ſunt, quæ nobis veluti exemplaria inſeruiunt:

3. *Vt ſub Antiocho.* Conuentus habuerunt, ſicut in Ægypto ſuos; ſed omnes clandeſtinos: ſiquidem Moſe, Moſaicoq; iure deficiẽte, poteſtas in totum corpus, ad cõgregandum ſeipſum (more in illis tempeſtatibus vſitato) deuoluta eſt. Cùm verò finita captiuitate, *Nehemias*, & *Antiochi* furore repreſſo, *Simeon Maccabæus* diuinitùs excitati, & in Moſaico, id eſt, ſummo loco cõſtituti eſſent: Tubis illi argenteis in manus ſuas denuò aſſumptis, prout Moſes factitauit, facere potuerunt. Quo primum tempore legitimus gubernator, eodẽ tubarũ poſſeſſor factus eſt: Et in cõuentu cauſam nemo ſuã his verbis

bis agere potuit: *Imò, quo nos in Babylone aut ſub Antiocho; eodem prorſus & non alio conueniemus modo.* Nequaquam huius hîc potius contrarium videre eſt. Sponte ſua coram *Simeone* legitimo eorum & ſummo Magiſtratu, apertè profitentur: Eo vel inconſulto, vel inuito conuentus in tota illa ditione nullos eſſe futuros. *1. Mac. 14. 44.*

Quo autem iure, duo hi, *Nehemias* atq; *Simeon*; eodem Conſtantinus, Moſaico omnes: omnes vi delegationis illius hîc ſcriptæ conuentus egerunt. Vi eius tubas ſibi reſumſit Conſtantinus, & agēdi conuentus poteſtatem poſſedit atq; exercuit: Quod.n. ſæpenumero à Moſe factitatum eſt; id quinquies ad minimum Euſebius, in vita Conſtantini affert, vt exēplari eo authentico Conſtātinianos ſemper proceſſus tueretur atq; defenderet. Concedendum hoc igitur illis eſt, eos ante Conſtātinum ſæpius, eo, quo audebant modo, quo poterant ordine conueniſſe: Periculum tunc illis faciundum erat: Moſes ibi nullus: Tuba illis nulla: ſi qua tamen adfuiſſet, vti eâdem, auſi non fuiſſent. Conſtantino autem Principatum, locum tenenti Moſaicum, perinde; atq; Moſi, idem facere licuit; & illi ſic factitanti his nunquam verbis obſtrepuerunt: *Quinimò, tubis abſtineto tuis: Quo ſemper huc vſque fecimus, deinceps modo facie-* *4. Sic ante Cōſtantinum.*

mus:more duntaxat priſtino,i.pro arbitratu noſtro, & non alio cõueniemus. Hoc(vt dictũ eſt) ſi fuiſſet ab illis dictum,ingenuè&candidè ſe geſſiſſent:Hoc modo,ſi iure potuiſſent,debuiſſent facere. An verò ſic fecerunt?Minimè.Sed eum prout Moſen, conciliorum gratia celebrandorũ acceſſerunt:Illa ab eo petierũt: quæ,eo nec autore,nec approbatore nunq̃ tentaſſent. Imò id de illis verè poſſum affirmare,ſummum eos numen veneratione & gratiarum actione ex intimis ſenſib.manãte,ꝓſecutos eſſe,quod in pacatiſſimis illis & vera religione clariſſ.temporib.ſpiritũ duxerint,in quib.tubæ ſono *C*onſtantinianæ conuenire potuerunt. Hoc igitur,vt concludam,duę iſtæ,Eccleſiæ cõditiones,duo tẽpora diſtincta, verbis cõfundenda nõ ſunt;ſed diuerſa ratione accipiẽda.In interregni tẽpeſtate,in ordinis diuini ceſſatione;Eccleſię neceſſitate conſtrictę, ipſi liceat vices ſupplere regias. Sed,Deo illi Conſtãtinum largiente,priſtinus ille & à Deo præſcriptꝰ ordo reuertitur, vt curſu eodẽ,quo prius procedatur.Eccleſia,quum magiſtratus ſummus,eius ve autoritas illi defuit,autoritate ſua,atq; propria res ſuas tractare & cõficere coacta eſt.Ea.n.tẽpeſtate,Eccleſia atq; principes ab inuicẽ diuulſi,neceſſitudine ꝓrſus nulla cohæſerũt. Sed intergerini parietis ſepto ſoluto,nihilnẽ plꝰ *Moſes*, quàm *Pharao*,*Cõſtantinus* quam *Nero* autoritatis

exer-

exercendæ habituri ſunt? An eodem ſub his atq; il-
lis modo conuentus ſemper ſunt agendi? Nequa-
quam. Nō magis, quam conueniendi eorum in Æ-
gypto formula (Eccleſiæ. n. illic Iſraëliticæ, & huic
Chriſtianæ primitiuæ par eſt & ſimillima ratio) tu-
bis his in cōtextu poſitis inſtar rectricis pręſcriberet
vel dominaretur; & taxaret, aut Deum eas Moſi tra-
dentē, aut Moſen eas, ſic à Deo ſibi traditas excipiē-
tem. Quin hoc potius, in temporib. Eccleſiæ ſan-
guinolentis, in quib. maximæ moleſtiarum & tur-
bulentiſs. tempeſtates exiſtūt, *Pharaonis* tempora &
Neronis (ſubquib. modo, quo poſſunt cōmodiſſimo
debēt cōuenire) sūt παραδείγματα: At in illis beatis tē-
porib. quæ quietis & trāquillitatis pleniſſima ſunt,
Moſes & *Cōſtantinus* ſunt exemplaria. Moſen nactis,
Moſaicis tubis auſcultandū eſt illis. Breui perſtrin-
gam, modū illum in cogēdis Conciliis, qui ante *Cō-
ſtantinum* ab Eccleſia eſt ſeruatus, nulli deſiderio cō-
fecti requirāt, quin ſubobſcurè innuant, Eccleſiam
ſe eſſe perſecutionis æſtu correptā, eiq; ſimilē, quę à
Moſe & *Cōſtātino* veluti nutricio ſuo orbata eſt. Con-
ſtantiniano igitur iuri, quæ præceſſerunt tempora,
nō magis, q̃ Moſaico, Ægyptiaco obſtaculo aliquo
aut impedimento eſſe poſſint. Nec reuera fuerunt.
Siquidē eas tubas *Conſtātinus*, & qui in eius locū ſucceſſerūt,
mille annorū ſpatio poſt Chriſtū poſſederūt & ſartas tectas
cōſeruarūt; ſed eo decurſo ſpatio, earū vna (qb. id modis nulli

noſtrum non conſtat,)aut libenter dimiſſa, aut violenter detorta eſt,& Romam trăſportata. Sed vetus hæc opinio , iam vſq; ab illis in quibus cœpit ducta temporibus,vniuerſam Eccleſiam oppleuit, vſucapionem illam,apertam eſſe & iniquam vſurpationem: vſurpationem dico; quâ ius,non Eccleſiæ,ſed Principum diminutum eſt eorum,qui,in illo ſibi iniuſtè excuſſo,in maximum iuris ſui præiudicium,conniuerunt. Et quid ita? quia non *Aharoni*, ſed *Moſi* dictum eſt, *Et erunt tibi.*

I. *Recuperatio tubarum.*

1. Vt finem ſermoni noſtro faciamus,maiori negotio recuperata haud ita pridem illa tuba,quàm tunc ablata eſt. Ecquid igitur ? Iamne eam dimittemus , & fabricam à nobis nuper denuò extructam turpiter tam citò diſſoluemus ? Paucos ante ſi placet annos memoria & cogitatione repetatis,in quibus Clerici,qui tum rerum potiebantur, prorſus ad oppoſitum conſtituti, nihil quidquam reformatū, nihil veræ religionis , quod corruerat reſtitutum; nihil,inquam,in eam rem facere voluerunt. Et tamen abſq; illis cæteri nihil (lege iudice) facere potuerunt: In principum poſſeſſiones irruerant: conuocandorum cœtuum poteſtatem interceperant. Quomodo tum conuentus fieret? *Erunt tibi* diuinus tum contextus erat; de Principe neceſſariò intelligendus:

gendus: penes eum poteſtas illa fuit, & illam ſibi iure propriam obtinuit. Hæc tunc doctrina, fuit Orthodoxa (ecquis ſcriptor eſt, qui illis temporib. claruit, & eandem nõ aſſeruit?) An hæc doctrina quæ tunc fuit, iam deſiit eſſe Orthodoxa? An verò ad tẽpus duntaxat, idq; aliorum permiſſu eam rex poteſtatem tenuit, vſq; quò, clero alio illam obtinente, exuendus is eſſet? An id tunc, alii in Principes iniurioſi, vſurparunt? & Principes iam ipſi idem iniuſtè vſurpant? An verò in hoc tantum conuentus diſcriminantur, quod (noua in illis cogendis forma neceſſariò introducenda) iam non externus quis atq; vnus, ſed domeſtici & plures tubarum moderatores futuri ſint? &, horum vnum vt ſit, neceſſe eſt? Hæccine iam inſtitutio noua facta eſt Orthodoxa? Imò (ſpero) ſi *Erunt tibi*, veritati aliquando fuit; perpetuò fore conſentaneum: Et, ſi, *tibi* tunc Moſi cõpetebat, ſemper cõpetere: Nosq; cogitationib. ſuſceptis ſapientioribus, aduerſum nos ipſos diutius non pugnaturos, & veritatem, niſi nobis inſeruire velit, veritatem non eſſe, aſſerturos. Atq; hoc illud mihi, quod à pluribus conſimilem in modum non ita pridem factitatum eſt, in mentem reuocat, cum Principi & Parliamẽto, admonitionib. ſupplicationib. monitionibus & petitionibus ſuis importuni,

Conatus quo tuba extorqueantur.

1. Per Presbyterium.

2. Per ipsũ populum Penry, Barrovv, &c.

ad eorum officii & iuris rationem ſpectare vociferabantur, vt ad ideam illam diſciplinæ Eccleſiaſticæ á ſeipſis excogitatam adaptarentur omnia: Quibus tamdiu veſtigiis inſiſtebãt, quã ſpes aliqua inde illis affulſit; Cum verò hâc planè nõ ſucceſſit, nouo ſibi *tenet* aſſumpto, aliâ cõfeſtim aggreſſi ſunt
" viâ. Ad cõuocanda ſua Cõcilia, nec Magiſtratib. o-
" pus erat illis, nec tubis. Fratrum ſanctiores autori-
" tate ſua & propria, conuentus iure poterãt celebra-
" re. Siquidem, vt ſapientes, qui autoritate pollent,
" confuſione obruãtur, ab idiotis, qui paupertate cõ-
" flictantur; opus hoc egregium ſuſcipiendũ eſt: quo
" tubæ ius ad eos, i. ad Demetriũ, & qui cum eo ſunt
" τεχνίτας tãdem deuoluatur. Iam igitur, ſi nõ veritatis gratia, at pudoris, quo hæc extra modum abſona & abſurda vos ſuffundant, harum opinionũ errores & inanitates procul amãdate: & id, quod Deus hîc ſuo ipſius ore ſanciuit, ſemel & ſemper verum ſit; quod nos ſemel, vt verum arctè tenuimus; perpetuò id & accuratè defendamus, ne ipſi nos, eorũ inſtar ſeruorum malorum (ex *ore proprio*) iudicemur. *Luc.19.22.*

Atq; hæc iam vobis, ne plus quàm par eſt, moleſtiæ faceſſam, ſufficiãt. 1, Prout à Chriſto accepimus mandatum, fecimus: Fõtes legum inuiſimus, & qđ in illis hac de re ſcriptum eſt inuenimus: (conuocãdi ſc. cœtus autoritatem, traditam Moſi & conceſ- *Cõcluſio operis.*

ſam:)2.Moſaico vſi conſilio interrogauimus à temporibus priſcis,quæ fuerunt ante nos:ab vna extremitate cæli vſq; ad alteram cęli extremitatem:& iuris huius functionē Moſis ſucceſſorib.propriam, & conuentum ab his ſic actum deprehendimus. Reſtat iam, vt quem Deus lege ſua ordinem præſcripſit;quem Dei populus ſuperiorib.ſeculis inuiolatum ſeruauit,eundem nos perpetuò conſeruemus: vt quo ore Deus dicit:*Erūt tibi*,eodē poteſtatem hāc Moſi propriam aſcribamus; vt nec illud *Korachi* vſurpemus:*Non veniemus*. Nec cū *Demetrio* in vnū cōglomeratos bonis laterib.clamādo: *Magna eſt Diana* ius illud auferre nos poſſe putem⁹.Sed queadmodū poteſtatē hanc à Deo profectam videmus, ita eandem ex animo agnoſcamus)& eidem ſubmiſsè morem geramus;quò illi,penes quos eſt, eadem & pacatè fruantur,&cum laude vtantur,in diuini nominis gloriam, à quo tradita; & in eorum, quorum gratia,tradita eſt,emolumentum. *Quod faxit omnipotens Deus*,&c.

NOTA. *Editio Conciliorum, quæ hic citatur, eſt Veneta, per Dominicum Nicolinum in 5. Tomos diſtributa.*